DISSERTATIONEM HANC PHILOSOPHICAM QVAE EST DE NATVRA MENTIS HUMANAE:...

Theodor Zwinger, Johann Ludwig Frey

Digitized by Google

H. Lit. p. 651 d

26/3/18 8637
41/8 H
1699.07.25

Digitized by Google

Digitized by Google

Catalog Dbl.

DIVINI NUMINIS AUSPICIIS,
DISSERTATIONEM HANC PHILOSOPHICAM
QUÆ EST DE

NATURA MENTIS HUMANÆ,

Cum Annexis miſcellaneis,
Juſſu Sapient. Philoſoph. Collegii,

PRÆSIDE
Viro Experientiſſimo & Celeberrimo
DOMINO
THEODORO ZUINGERO,
Med. Doct. Philoſ. Nat. in alma Academ.
Patria Profeſſ. Solertiſſ.

Pro Supremis in Philoſophia honoribus
ſolenniter impetrandis,

Placidæ Antagoniſtar. συζητήσει ſubjectam
pro virium modulo tuebitur publicè,

JOH. LUDOVICUS FREY,
Mag. Cand. Author.

D. 25. Julii Anni 1699.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHII.

VIRO
Spectatiſſimo atq́ʒ Prudentiſſimo,

DN. JACOBO FORCART,

Inclutæ Reip. Baſil. Senatus Majoris
Aſſeſſori ac Redituum Conſiliario digniſſimo,
Eccleſ. ad D. Petri Seniori Meritiſſimo,
& quod addere concedit humilitas,
Cognato, è Sacro fonte ſuſceptori,
obſervandiſſimo,

Has ſtudiorum ſuorum Philoſoph.
Ἀπαρχὰς *obſequioſi affectus & debitæ pietatis Indices,*

Gratâ animi ſignificatione meritò & devotè

conſecrat

JOH. LUDOV. FREY,
Theol. Stud. A. & R.

06/09/96

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

De Naturâ vel Eſſentiâ Mentis humanæ.

THESIS I.

Cum natura rei cujuſpiam non meliùs innoteſcat, quàm ejus definitione, hæc ante omnia nobis in diſquiſitione Naturæ Mentis humanæ excutienda eſt, quam varii variam, alii quidem negantem, affirmatnam alii poſuêre. Verùm ex Logicis clarum eſt, definitiones negantes, cùm non quid res in ſe ſint, ſed potiùs quid non ſint, exponant, aut prorſus rejiciendas, aut ſaltem affirmantibus poſtponendas eſſe; Ideoque Mentem non definimus, ſubſtantiam incorpoream, inviſibilem, &c. Affirmativè Mens à multis deſcribitur per attributa communia & reſpectiva; cujuſmodi eſt illa Ariſtotelis, actus (ἐντελέχεια) corporis organici: item illa, principium quo vivimus; quę definitiones nonniſi ſimilitudinem cum rebus aliis, & ad illas relationem dicunt. Adde, quòd ſi mens nil aliud, quàm forma, ſive actus corporis viventis organici ſit, quomodo pereunte corpore interitus animæ non involvatur, nemo explicaverit. Idcircò cùm & hujuſmodi definitiones, ejus naturam intimam, quid in ſe ſit, non declarent, jure merito rejiciuntur. Quærendum ergo ex attributis Menti propriis & abſolutis (quàlia ſunt, perceptio, affirmatio, negatio, dubitatio, ratiocinatio, cogitatio, &c.) attributum omnium præcipuum, eique intimum, quod reliqua omnia includit, & à quo pendent omnes modificationes Mentis, cujuſ-

modi attributum Metaphyſici Eſſentiam appellant. Jam verò ſi omnes claſſes Mentis attributorum percurrimus, nullum prius & intimius inveniemus cogitatione: hoc eſt illud attributum radicale, quod omnibus ſublatis manet, quo uno poſito, cætera omnia involvuntur & ſequuntur: Mens ſi intelligit, cogitat, ſi dubitat, cogitat, ſi affirmat cogitat, ac in unaquaque functione cogitatio involvitur: non verò viceverſa, ſi cogitat, affirmat, negat, dubitat, admiratur, &c. Cogitatio itaque Mentis naturam & eſſentiam conſtituit; quid enim ſublatâ cogitatione remanet, unde conſcii ſimus, nos eſſe nihil? Quapropter Mens optimè definitur, Res ſive ſubſtantia cogitans. Duntaxat hîc removenda eſt ambiguitas vocabuli cogitationis, quo non intelligimus meditationes & diſcurſus ſublimes, vel peculiarem quandam Mentis modificationem, hoc eſt, hujuſmodi vel hujuſmodi cogitationem, ſed cogitationem omnibus cujuscunque generis modificationibus ſuſcipiendis idoneam. Quod notandum contra adverſarios, qui, æquivocatione non ſublatâ, conceptus confundere ſolent.

THESIS II.

Cogitationem eſſe attributum abſolutum mentique proprium, ſatis clarum eſſe exiſtimamus. Quippe nihil in cogitationis idea incluſum deprehendimus, quod habetur in idea Subſtantiæ extenſæ. De cogitatione enim illud omne negari poteſt, quod de corpore affirmatur: dici namque cogitatio nequit longa, vel lata, vel profunda: Cogitatio nulla partium varietate conſtat, nullam figuram admittit, nullam recipit diviſibilitatem: Hæc omnia negari poſſunt & tolli, ipſâ cogitationis ideâ nilominus incolumi & ſalvâ manente: Vice verſa quoque negamus cogitationem modum eſſe poſſe corporeæ ſubſtantiæ; modi enim eſſentia eſt, ut concipi nequeat, ſi de eo negetur id cujus eſt modus: quàm verò facile eſt concipere cogitationem abſque ſubſtantia extensâ; Sequitur itaque illam non eſſe modum corporis. Hinc minùs abſurdè judicaveris cœlum eſſe terram, aquam, ignem, imò potiùs nihil, quàm naturæ materialis. Quis igitur ferat, dicentem corporis, extenſionis ideam, ideâ cogitationis ita involvi, ut hæc

ſine

ſine illa concipi nequeat? Quis ferat Philoſophos, ratiocinationem à motu organorum corporeorum arceſſentes, animamque nil niſi motum quarumdam partium corporis organici aſſerentes? Da extenſioni figuras, quas lubet, move, compinge, divide, ideone cogitabit? Craſſam ſume materiæ maſſam, finge, refinge, ex rotunda triangularem redde, ideo ne verò cogitationem involvet? Quod ſi materia ſubtilis magis arridet (ut nonnullis placet) divide illam rurſus in 10. 100.& myriadas partes, figurâ, quacunque demum volueris, dona, idcircò verò cogitare opinaberis?

THESIS. III.

Sed ſunt quoque audiendi, qui adverſam tenent ſententiam, quique argumentis non deſtituuntur, quibus ſuam fulcire, noſtramque infringere conantur. Cauſantur enim 1. cogitationem non ſatis reale quid eſſe, ut mentis naturam conſtituere poſſit. At, quid difficultatem fingunt, ubi nulla eſt? Explicent nobis vocem confuſam illam *reale*, & videant, quò argumentum illorum evanuerit. An Reale id vocant, quod firmum eſt & certum, quod opponitur ficto, quid hoc ſenſu cogitatione realius? Dubitent, negent exiſtere cœlum, terram, corpora, mentes, illa nonniſi figmenta & Chimæras reputent, nunquam efficient ſe non cogitare. An verò reale id dicunt, quod perfectum eſt (qui ſenſus vocabuli hujus præcipuus) nec hoc ſenſu realitas cogitationi denegari poteſt: Quippe ſi res creatas ſpectemus, quid perfectius, moleſne extenſa an cogitatio, moduſne figura, diviſibilitas, an perceptio, voluntas, ratiocinatio. Quocunque demum ſenſu vocabulum hoc capiant (ſi modò ſenſu non ſit planè caſſum) videbunt cogitationem omnium eorum, quæ creata ſunt, realiſſimum, ut cætera vix realia videantur.

THES. IV.

Obducunt 2. ſi cogitatio animæ naturam conſtitueret, tum eâ mutatâ, mutari quoque animam, & quia cogitationes aſſiduè variant (cogitamus enim jam de terra, angelis, &c.) ideo etiam Animam noſtram variare, modò hanc, modò aliam eſſe, quod abſurdiſſimum. Verùm difficultati huic obviam jam

ivimus Th. 1. ubi diſtinximus inter cogitationem per ſe & ſimpliciter ſpectatam, ejusque determinationem ad hæc aut illa objecta; hoc verò poſteriori ſenſu vocabulum cogitationis non accipi, ibi jam innuimus. Res ſimili facilè illuſtrari poteſt: Quemadmodũ verbi gratiâ, per extenſionem non intelligitur talis vel talis extenſio, ſed extenſio omnibus modificationibus recipiendis apta, quæ ſucceſſive variis poteſt indui, ex rotunda quadrata, ex quadrata triangularis effici, manente eadem extenſione: vel eodem modo, quo Philoſophi differentiam faciunt inter motum per ſe ſpectatum & ipſius determinationem versùs certam partem. Quemadmodum enim motus ſemper in Mundo eſt, licèt nunc his nunc illis partibus inhæreat, nunc in hanc nunc in aliam partem dirigatur; Ita quoque cogitatio ſemper manet, licèt nunc his nunc illis rebus incumbat, jam circa corporea, jam ſpiritualia occupetur. Hoc ſenſu cogitatio generalius quid eſt, quàm altero, unicaque dici debet: eſt enim perceptio intima eorum omnium quæ agimus aut patimur, adeoque tametſi diverſa ſint objecta, diverſaque requiratur ad illa applicatio, ad hoc unum tamen redeunt, quòd ſint perceptio ſeu cogitatio diverſis objectis applicata.

THES. V.

Obtendunt tertiò, Cogitationes ſingulas in particulari acceptas mera eſſe accidentia, ſubjecto cuipiam neceſſariò inhærentia. Ut hoc clarius conſtaret, utuntur ſimili à motu deſumto. Si corpus, inquiunt, continuè moveretur variis modis, & conſtaret illos modos eſſe accidentia corpori inhærentia & quibus carere poſſit, an quisquam, ajunt, eſſentiam corporis illius in perpetuo motu ſitam eſſe ſtatuere auderet: Eadẽ vero ratio ſecundùm illos eſt mentis cum cogitatione. Rationẽ hanc (quam illi tantùm non ut demonſtrationem Mathematicam obtrudunt) nos & abſurdiſſimam & ſanæ Philoſophiæ repugnantem eſſe meritò contendimus. Quis non videt illam originem traxiſſe ex tenebroſâ illa Ariſtotelicâ Philoſophia, quum homines vagis & generalibus ſubſtantiæ, ſubjecti, &c. terminis aſſueti, nullum clarum conceptum formant. Ne itaque tricis his nos implicari ſinamus, nomen ſubſtantiæ diverſimodè uſurpa

pari dicimus, quatenus de re vel conceptum incompletum, vel completum, ſeu rem ipſam, prout exiſtit extra conceptum, denotat. Quod ut clariùs conſtet, fingamus omnibus rebus & entibus ad nihilum redactis unicum remanere, quod ſubſiſtit per ſe. Conceptus quem de tali ente formamus, eſt ne ſubſtantiæ cogitantis an extenſæ? Neutrius. Conceptus enim talis eſt indeterminatus ad aſſumendam ideam cogitationis & extenſionis: hoc ſenſu ſubſtantia dicitur incompleta, quippe quæ nullum habet Archetypum extra mentem, cum nullum detur Ens, quod conceptui iſti generali reſpondeat.

Jam verò cùm dico, Mens eſt ſubſtantia, num idem ſenſus tribuitur voci ſubſtantiæ? Num adhuc dum indifferens eſt ad recipiendam cogitationem vel extenſionem? Nequaquam ſanè: Sed eâ jam voce denotatur res verè exiſtens, extra conceptum, archetypum habens, cogitatione prædita. Patet hinc cogitationem priori ſenſu à ſubſtantiâ differre, poſteriori ipſiſſimam eſſe ſubſtantiam, nullamque eſſe diverſitatem inter rem cogitantem & cogitationem. Patet porrò quàm abſurdum ſit poſtulatum eorum, qui petunt, ut illis explicetur natura non cogitationis, ſed ſubſtantiæ (neſcio cujus à cogitatione diverſi Entis) cui cogitatio ineſt: Satis enim è dictis clarum eſt, hoc, Cogitatio ineſt ſubſtantiæ, non ita intelligendum eſſe, quaſi primò res ſeu ſubſtantia quædam exiſtat, cui poſtea ſuperaddatur cogitatio, tanquam quid ab eâ diverſum: Sed ita, ut ideæ ſuſtantiæ generali debeat addi Idea cogitationis ad repræſentationem mentis. Cogitatio enim ipſa ſubſtantia eſt, nullaque re, præter concurſum Dei, eget ad exiſtendum, nullo ſubjecto cui tanquam accidens inhæreat. Concidit quoque frivola exceptio illorum, qui hanc opinionem de cogitatione ut ſubſtantiâ, ludibrio expoſituri invertunt, Cogitatio quæ cogitat. Quod ad egregium illud ſimile à motu deſumtum, quem à corpore abeſſe poſſe dicunt, ἀπροσδιόνυσον. Motum enim qui omnibus fatentibus eſt accidens corporis, comparant cum cogitatione, quam eſſentiam mentis conſtituere demonſtravimus.

THES. VI.

Objiciunt 4. Licèt nihil in Mente præter cogitationes varias perſpicuè cognoſcamus,non tamen citra temeritatis crimen affirmari poſſe, nihil præterea in eâ eſſe; compertum enim non eſſe, illam non habere alia attributa à cogitatione diverſa, nec quicquam ſupponere. Ut objectioni huic ſatisfaciamus, ſupponamus eſſe in mente quid diverſum à cogitatione, id nihilominus non obſtat,quo minùs ſola cogitatio eſſentiam mentis conſtituat, juxta definitionem ſuperiùs traditam. Quod ſic demonſtramus: Quicquid eſt in mundo vel res eſt vel modus rei; id nullo pacto negari poteſt: jam verò cogitatio non eſt modus rei: ergo eſt res. Porrò, quando quidem cogitatio non eſt res ex pluribus rebus conſtans, ſequitur cogitationem eſſe unicam rem ac proinde nihil aliud quàm ipſam Mentem. Jam verò cogitationem non eſſe modum Rei ſed rem ipſam, præterquam quod ex ſupradictis conſtat, hinc quoque eluceſcit, quod modus rei concipi nequeat,quin eodem tempore concipiatur res cujus modus eſt: verbi causâ, concipi nequit rotunditas ſine extenſione, affirmatio ſine cogitatione: Modus enim rei nihil aliud eſt, quàm res ſic modificata. Si itaque cogitatio eſſet modus rei, concipi non poſſet, niſi conceptâ illâ re, cujus modus eſt: Cùm igitur cogitatio facillimè concipiatur,ſequitur, illam ſolam eſſentiam Mentis conſtituere, cùm ſit unica res, nec quicquam ſupponere.

THES. VII.

Objiciunt 5. ſi eſſentia Mentis in cogitatione ſit poſita, neceſſe eſſe ut ſemper cogitet, quod non videtur eſſe verum in ſomno vel animi deliquio, cùm poſtea non ſimus conſcii nos cogitâſſe. Verùm id à nobis abſolutè negatur: Mentem à quo tempore creata eſt, fuiſſe vel ad momentum non cogitantem. Etenim Mens non eſt nihil, quid verò ſublatâ cogitatione ſupereſt, quo illam à nihilo diſtinguas,quod ei aſſignes? Subſtantia fortè illa, cui tanquam ſubjecto inhæret, ais. Hæc verò jam exploſa eſt, in auras evanuit. At fortè facultas cogitandi? Benè ſi per facultatem illam intelligas potentiam cogitationis ad certum quodpiam objectum applicandæ; Sed quid hoc aliud, quàm cogitationem jam

eſſe

eſſe dicit. Fortè ais, mens certo tempore omni actuali cogitatione deſtituta eſt, eamque poſtea recuperat: Hoc ſanè nequaquam concipi poteſt. Ut itaque clariùs innoteſcat, omnem tuæ intelligentiæ vim eò intende, ut mentem quidvis potiùs quàm cogitantem eſſe fingas, omnibus viribus annitere ut cogitationem ab ea divellas, finge te lautiſſimis præmiis ad cogitandi quietem invitari vel ſæviſſimis minis impelli, an jam mens omnis cogitatione privata eſt? Ineptè ſanè! Dum enim fingis, & cogitationem ab ea ſejungere conaris, velis, nolis, cogitantem te eſſe deprehendis. Tantum abeſt, ut illud effectui dare queas, ut, quo magis huic incumbis, eò magis & attentius cogites. Quænam demùm pertinacis hujus cogitationis cauſa afferri poteſt, niſi quia mentis natura eſt, ut nec magis cogitandi quàm exiſtendi finem faciat? Quòd verò tempus ſomni in cauſæ patrocinium adducitur, id gratis fit, & facilè refutatur inſomniis, & licèt interdum negligentiùs cogitet, eam tamen ab omni cogitatione ceſſare, nemo probaverit. Imò quandoque eam in ſomno diligentiùs cogitare, ex eo probatur, quod quidam inter dormiendum nova quædam inveniant atque addiſcant. Nec juvat exceptio, ſi id verum eſſet, deberemus illarum cogitationũ meminiſſe, cujus tamen contrarium quotidie experiamur. Etenim alia eſt quæſtio, an recordemur ſemper cogitationum noſtrarum, quas dormientes v. gr. habuimus; alia an ullas tum habuerimus: poſterius duntaxat affirmamus, prius verò experientia ſuffragante negamus. Ut enim recordemur cogitationum (quas Mens habet, quamdiu corpori alligata eſt) requiritur, ut utamur cerebro bene parato & diſpoſito, ut veſtigia cogitationum illi impreſſa conſtanter ſerventur, ad quæ poſtea Mens ſe convertendo & applicando, recordatur. Quocirca mirum non eſt, nos quarundam cogitationum memores non eſſe, cùm plurimarum non recordemur, quas tamen certò ſcimus habuiſſe. Quis enim poſſet omnes unius diei imò unius horæ cogitationes enumerare, cùm tamen certum ſit, tempus illud cogitatione tranſactum fuiſſe. Illos quod attinet, qui animo linquuntur, cogitatione non fuiſſe deſtitutos conſtanter affirmamus. Error inde fluxit, quòd ſpiritus

animales

animales inordinatè circumacti, tantum in cerebro imprimunt veſtigiorum numerum, ut nullum ſatis aperiant, ad excitandam peculiarem quampiam ſenſationem vel ideam diſtinctam. Hinc illi tot res ſimul ſentiunt, ut nihil diſtinctè ſentiant, unde fit ut ſe prorſus nihil ſenſiſſe arbitrentur.

THES. VIII.

Sic itaque Menti ſuam naturam ſatis ſuperque, ut nobis quidem videtur, aſſeruimus, & ab adverſariorum argumentis vindicatam ivimus Supereſt, ut benevolum Lectorem rogemus, ut ſpecimen & conatus hos noſtros æqui bonique conſulat, & ſi fortè à Virorum quorundam clariſſ. ſententia diſceſſimus, non ſine causâ hoc factum eſſe ſciat. Ratione enim non authoritate nitimur, nullique aſſenſum præbendum edocti ſumus, niſi à quo evidens ſtat veritas. Quod ſi verò in quibuſdam hallucinati ſumus, homines ſumus nihilque humani à nobis alienum putamus, veritatem, undecunque tandem affulgeat, amplecti ſemper parati.

F I N I S.

AN-

ANNEXA MISCELLANEA.

I. *Definitio illa hominis, animal rationale, ſatis abſurda eſt, cum animalitas non minus ſit differentia hominis quàm rationalitas.*

II. *Si non accuratior candidior ſaltem eſt illa Veterum cujuſpiam,* Ἄνθρωπός ἐστιν, ὃ πάντες ἴσμεν.

III. *Male à Cel. Auth. Artis cogitandi, deas ſenſationum, doloris v. gr. non eſſe diſtinctas aſſeritur.*

IV. *Inanis* λογομαχία *eſt inter Ariſtotelem & Galenum de quartâ figurâ ſyllogiſmorum, quæ definitione vocum planè tollitur.*

V. *Nobiliſſ. Carteſium in hypotheſi ſuâ de Elementis nequaquam ſibi conſtare nec eorum nexum benè obſervaſſe, quàm maximè perſuaſi ſumus.*

VI. *Id quoq; quod ſtatuit, quietem æquè quid poſitivum eſſe ac motum, omninò* ἄτοπον *nobis eſſe videtur.*

VII. *Ejusdemq; motus definitionem definito non eſſe adæquatam certiſſimum.*

VIII. *Qualitates occultas, formas ſubſtantiales & cætera antiquæ Philoſoph. myſteria, noſtrum hoc tempore captum ſuperantia cum toto ſaniorum Philoſoph. choro conſtanter reijcimus.*

IX. *Incredibilis rapiditas Primi mobilis in ſyſtemate Ptolemaico non eſt ſufficiens argumentum mittendi nuncium huic hypotheſi.*

X. *Inter ens finitum & nihil non eſt infinita diſtantia.*

XI. *Mentem eſſe præditam Virtute producendi Ideas, vel ex objectis manare ſimulachra Ideis ſimilia, non concipi poteſt.*

XII. *Male*

XII. *Malè Philoſophi quidam ſenſationes nil aliud eſſe, quàm ſequelas facultatis cognoſcendi & volendi, affirmant.*

XIII. *In omni ſenſu quatuor, quæ vulgò confunduntur diſtinguenda. 1. Actio objecti. 2. Paſſio organi. 3. Perceptio mentis. 4. Judicium.*

XIV. *Virtutis definitio Ariſtotelica, Habitus electivus in mediocritate conſiſtens, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus, nulla eſt.*

XV. *Malè Itterus Temperantiæ in exceſſu Intemperantiam, in defectu vero Stupiditatem opponit.*

XVI. *Interdum qui verum dicit, falſum dicit, & contrà qui falſum dicit, verum dicit.*

Ad Præſtantiſſimum Dn. Canditatum, Diſputationis hujus authorem προσφώνημα.

PAgellas de Mente, meâ dum Mente revolvo
    Quas tua, tam pulchrè Mens meditata fuit:
Non aliter poſſum, ſtatim quin ſcribere verſus
    Incipiam & ſpecimen gratuler hocce tibi.
Non equidem ut longo laudem tua carmine cœpta,
    Haud opus eſt, Opus hoc, te probat Artificem.

Sic Amico & Commilitoni gratulatur

THEODORVS BVRCARDVS, Mag. Cand.

F I N I S.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google